Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26049
Copyright: Admont, Benediktinerstift

adulescentia lapidantium adiutor existeret; cum alia ecclesiae lo-
ca uastaret, et acceptis epistolis uastanda alia peteret; cum mors
ei fidelium nulla sufficeret, sed semper ad aliorum interitum aliis extinc-
tis anhelaret; profecto cognoscimus quia nullus iam fidelium crederet
quod ad iugum deus suae fortitudinis uim tantae elationis inclina-
ret. Vnde et ananias uoce dominica hunc et post quam conuersum audiuit exti-
muit, dicens: Domine audiui a multis de uiro hoc, quanta mala
sanctis tuis fecerit in ierusalem. Qui tam repente commutatus ab hoste prae-
dicator efficitur, et in cunctis mundi partibus redemptoris sui nomen
insinuat; supplicia pro ueritate tolerat; pati se quae irrogauerat
exultat; alios blandimentis uocat, alios ad fidem terroribus re-
uocat; istis regnum pollicetur caelestis patriae, illis minatur ignes
gehennae; hos per auctoritatem corrigit, illos ad uiam rectitu-
dinis per humilitatem trahit; atque in omni latere ad manum sub-
se rectoris inclinat, et tanta arte dei aream congregat, quanta
illam prius elatione uentilabat. Sed neque hoc abhorret a paulo
.VIII. quod rinoceros buxei coloris dicitur; et elephantorum uentres cornu feri-
re perhibetur. Quia enim uiuere sub rigore legis assueuit, arcius in
illo ceteris custodia uniuscuiusque uirtutis inoleuit. Quid enim per colorem
buxeum, nisi abstinentiae pallor exprimitur? Cum ipse se tenaciter ad-
herere testatur dicens: Castigo corpus meum et seruituti subicio, ne
forte aliis praedicans ipse reprobus efficiar. Qui diuinae legis erudi-
tione praeditus, dum aliorum ingluuiem redarguit, cornu elephan-
tos in uentre ferit. In uentre quippe elephantos percusserat,
cum dicebat: Multi ambulant quos saepe dicebam uobis, nunc autem et flens
dico inimicos crucis christi, quorum finis interitus, quorum uenter deus est
et gloria in confusione ipsorum. Et rursum: Huiusmodi christo domino non ser-
uiunt, sed suo uentri. Cornu suo ergo rinoceros iste non iam homines
sed bestias percutit, quando illa paulus doctrinae suae fortitudine ne-
quaquam [illegible] humiles impetit, sed superbos uentris cultores occidit.
.T. Quae uero quia in paulo scripta cognoscimus, superest ut facta et in aliis credamus.